

107. *Aëranthus hispidulus*: pusillus, caule brevissimo, vaginis limbo libero hispidis, laminis lanceis acutis limbo ac superficie hispidis, racemis paucifloris axillaribus terminalibusque, bracteis triangulis ciliatis ovaria turbinata longe non aequantibus, perigonio conniventi basi connato, sepalis ligulatis carinatis apice recurvis, tepalis ligulatis basi cum sepalo supremo connatis, labello calcarato calceolari trilobo. —

Radices adventitiae filiformes, multiflexae. Caules vix pollicem alti. Folia vix lineam lata, ad 3—4 lineas longa. Pedunculi axillares et etiam quasi terminales, usque triflori.

S. Martha Novae Granadae.